

Hector Conradi Johannes Graß

## **Illustrium Quaestionum Philosophicarum Decas**

Rostochi[i]: Richelius, 1644

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615901>**

Druck Freier  Zugang



Ru phil. 1644  
Hector Conradi  
Johan Bras.





79  
143

ILLUSTRIMUM  
QVÆSTIONUM  
PHILOSOPHICARUM  
DECAS,

Quam  
D. T. O. M. A.

*Consentiente Ampl. Facult. Philosophicâ  
Academia Rostochiensis*

SUB PRÆSIDIO  
M. HECTORIS CONRADI,  
Vltzens. Lunæb. S.S. Theol. Stud.

*Publicæ disquisitioni subjiciet*


JOHANN GRASL DUSSE-  
lopoli Montanus,  
AUTOR & RESPONDENS.

*In Auditorio Majori ad diem 27. Jan.  
horis à prima pomeridianis.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi.  
ANNO M. DC. XLIV.



VIRIS

*Fortissimo, ac virtute conspicuo*

**DN. HERMANNO** Graß/ Illustrissimi ac

Celsissimi Principis ac Domini, Dn. WOLF-

GANGI WILHELMI, Comitis Palatini ad Rhenum,

& Ducis Juliae, Cleviae, Montanae &c.

Centurioni Vigilantissimo,

UT ET

*Generoso & Nobilissimo*

**DN. HEINRICO** Graß/ Cæs: Maj: à Con-

siliis bellicis, Præfidiq; Justitiæ militaris

Supremo.

*nec non*

*Prudentissimo ac Spectatissimo*

**DN. SIMONI** Graß/ Inter centumviros

apud Rostochienses primario, Antistiti templi

Spiritui S. Sacri dignissimo.

*deniq;*

*Præstantissimo ac Integerrimo*

**DN. ERNESTO** Graß/ Illustrissimi Cym-

brorum Ducis Præfecto Schlesvicensi

meritissimo.

*Gratibus suis omnibus, summo honoris & amoris  
cultu prosequendū, gratitudinem &  
observantiam attestatur*

**JOHANN** Graß.



Prooemium.



Nihil tam altè Natura constituit, quò virtus non eniti possit. Verba sunt Regis illius Macedonum, qui ab actis & audis rebus Magni cognomen tum adeptus est, quibus petram, situ naturâq; loci inexpugnabilem, ad deditiorem coacturus & superaturus militum suorum animos incitare conabatur. simulq; hisce indicabat, pericula, petram hanc expugnaturus, instare quidem gravissima; quoniam tamen tam altè Natura nihil constituisset, quo virtus non eniti possit, se etiâ, quin hâc videlicet, cui nulla via est in via, instructi illam sine superaturi, palmamq; de ea reportaturi, nullum dubitare. Hoc & Musarum cultoribus, ascensu itillèmpetituri Parnassum non incommodè applicari posse videtur, quippe & hi assiduos sibi obviam habent sudores ac labores, eorumq; oneribus interdum ita premuntur, ut saepe, dolci præsertim nondû gustato fructu, cum diffidentia (qua plerumq; juvenes avertit) studiorum desultores agere compellantur. Sed quoniam non nisi certanti pulchra corolla datur, & radicem istam amarâ mox secururi sunt fructus dulcissimi, eò majori animi constantiâ, & quidem intrepidè, pericula adeunda erant, quò tandem tanto feliciori progressu metam nobis propositam attingere valeamus. Quanam autem media ad hunc assequendum finem sint adhibenda, illa cum Alexandro Magno virtutem dicimus; hâc enim nisi bene culti & exculti simus, frustra ad Bonum hoc in loco tam sublimi positum, contendemus.

Eam igitur ut nobis acquiramus noctesq; diesq; sedulam navemus operam: ad quod, summo cum fructu & utilitate,

Curt. l. 7. S. II.

Inft: S. 2. d. J. & J.

rate, sua nobis præstabit subsidia vera ac sincera Philosophia: hæc enim virtutum norma, actionumq; regula, quâ affectus moderari vitamq; nobis dignam ac dictamine rectæ rationis præscriptam ducere possumus. Ut enim corporis mala, salutaribus medicamentis, ita animi vitia præceptis expurâ istâ Philosophiâ desumus, curantur ac leniuntur. Quæ cum ita sunt, placet ex immenso istius Philosophiæ oceano, eâ præsertim parte, quam vocamus Præcticam, quædam selectiores eruere atq; in medium proferre. Memores illius quod Sacratissimus noster Imperator Justinianus prædicit: In nomine Domini nostri Jesu Christi ad omnia consilia, omnesq; actus semper progrediendum esse. Idcirco tuam piissime Jesu nobis adspira gratiam, tuoq; nobis adesto Spiritu, qui nos in omnem deducat veritatem, ut omnia hæc cedant in solam magni tui nominis gloriam, Patriæq; emolumentum, & nostrorum tandem omnium salutem; Sit igitur

#### QUÆSTIO I.

*An Philosophia Præctica homini Christiano digna ac utilis sit censenda? Aff:*

Per Philosophiam Præcticam autem, sciendum, nos non intelligere versutiam istam depravatam, quâ sub larva quasi hodie (proh dolor) ardeliones isti orbem Christianum nimio onere gravant, qui nostro vocantur idiomate Practische Politische Weltleute. hi enim, omni nequitiarum genere fraudeq; & versipelli astutia instructi mendacia comminiscendo, alios circumveniendo criminando & taxando, omnia optimè simulare ac dissimulare possunt; Sed sinceram illam Prudentiam, quæ, quomodo sit vivendum, nos docet, quâq; ad felicitatem tendentia nobis acquirim: per hanc enim hominis perficitur voluntas, ejusq; actus ad dictamen rectæ rationis conformantur. Quò nobiliorem etiam disciplina finem habet, eò ipsa & nobilior censenda; Philosophia autem Præctica summum Bonum pro fine habet, quò ignoratò, ipsa vivendi ratio ignoratur,

1. 2. C. de  
off. præf.  
præf. af-  
fricæ.

rut, E. Cum hisce tandem perquam pulchrè concordat Piccolo-  
mineus, quando inquit: *Heus homo nobilissima creatura: Cur in* ad 10. grad.  
*vite cursu constitutus dormis & stertis? non advertis tibi, ut peregrino* c. 1.  
*vigiliam maxime convenire? cur oscitans & inermis jaces? nonne*  
*percipis, te in medio iniquorum collocatum, maxime oportere esse cir-*  
*cumspectum, & de tua salute sollicitum? cur ad humilia inclinas? non-*  
*ne audis præclara? que te ad industria & sublimia invitant.* hæc ille.  
Interim tamen Theologicè loquendo non inviti herbam, imò pal-  
mam, Ethicæ divinæ seu Christianæ porrigimus. Theologia ergo  
ad salutem æternam necessaria; hæc tamen ad vitam & civitatem  
digna ac utilis. Qui igitur utriusq; studium conjunxerit, ut alte-  
ra alteri inserviat, non minus sapienter agit, quàm qui annulum  
ex auro splendido & gemma pretiosa conficit. Nam ut aurum  
gemmæ nihil dignitatis detrahit, etiamsi melioris sit pretii, ita hu-  
mana Philosophia, divinam non obscurat, quamvis minorem luc-  
cem ac laudem habeat.

## QUÆSTIO II.

### *An Philosophia Practica futuro Jcto sit necessaria? Affirmatur.*

Quid per Philosophiam Practicam intelligatur, jam dictum,  
præcepta nimirum ista Philosophica, non theoriam, sed praxin respi-  
cientia, quibus ipsa contineantur principia Justitiæ, Prudentiæ, om-  
niumq; virtutum. & ad eorum consummationem, si quis leges Ju-  
stinianeas sufficere, & formulis actionum, si quis absolvi putat, is sa-  
nè quid Jurisprudentia sit, æquè cū ignaris ignorare nobis videtur.  
Et hanc, nō solum secundum quid vel ratione melioris esse, ut loquun-  
tur, uti Christiano sed ab solutè & quidem ratione ipsius essentiæ fu-  
turo Jcto necessariam esse statuimus. Quid enim Jurisprudentia sine  
principiis istis & fundamentis ex hæc Philosophiæ parte desumptis?  
Inanis est, imò purè ac solū de habitu loquendo Jurisprudentiæ, &  
quidè abstractivè potiorè Philosophia sibi vendicat locum; nisi enim  
quis hujus præceptis instructus paratusq; fuerit, Jurisprudentiã, haud  
secus atq; stricto furens gladio, inq; cū suam, tum aliorum perni-  
ciem, utetur. Diximus autem purè loquendo, & quidem abstractivè,  
secus autem concretivè, ibi enim faciliè, & quidem meritò præroga-  
tivam



tivam concedimus Jurisprudentiæ, cum præsumatur, Jctum etiam esse Philosophum, atq; sic habitui Philosophiæ super addidisse habitum alium Jurisprudentiæ scilicet: perfectio autem addita perfectioni absq; dubio major est, quam alterutra earum seorsim. Et commune proverbium est: *Ubi desinit Ethicæ, ibi incipit Jctus*: siquidem magnam inter se habeant cognationem & coherentiam. Unde etiam æquè hanc, ac Philosophiam ab Ulpiano nostro *rerum humanarum atq; divinarum notitiam* definitam habemus. Con-

l. 20. §. 2. ff.  
de Jct. J.

sultum ergo est omnibus lac juris concupiscentibus per dogmata hæc Philosophica, sua primaria sumere nutrimenta, ut disciplinâ præambulâ informati securius mereantur Justinianæ inhærere sanctioni. Nullus ergo tam præsumptuosus existat, ut sine hujus Philosophiæ Practicæ præceptis ad juris, & maximè civilium sublimitates conscendere attendat, quoniam in summis versantur periculis, qui volare satagunt, antequam pennas assumant.

### QUÆSTIO III.

#### *An Philosophia Practica præferenda sit Speculativa? Dist.*

Certæ enim parti vexilla jungere periculosum erit, cum pro utriusque præstantia rationes ponderosæ satis adduci possint, & utraq; suos non infimæ fortis habeat defensores. Qui enim Speculativam præferendam volunt, moventur imprimis, quod hæc sit tranquilla, serena, ac pace fruens; Practica verò negotiosa, cum labore & instar belli conflictu posita. Deinde quod hæc magis sibi satis sit, minus egeat instrumentis fortunæ, quàm Practica. tum, quòd Speculativa elevet ad supera, ad Deum nos extollat, & cum eo nos jungat. Practica autem convertat nos ad infera, intra homines nos detineat &c. Sic à contrario nec Practica suis caret propugnatoribus: per Prudentiam enim, ut ajunt, quæ dux hujus Philosophiæ Practicæ, Respubl. conformantur, leges conduntur, item Summum hæc hominis Bonum considerat, ad illudq; nos deducit, sapientia vero seu Theoretica mundum tantum speculatur, ex Summo Bono pendentem: item quod sapientia destituta Prudentiâ sit, ut gladius in manu furentis, perniciosâ; ex adverso autem Prudentia seorsim à Sapientiâ semper utilis ac honoranda censetur, reddens

dens homines probos, ubi vel sexcenta adducuntur exempla prudentium & proborum civium, sine sapientia in sua Repub. ut stellæ refulgentium, & quòd tandem nudis speculatoribus Respab. gubernari non possit, unde Cicero, *qui est, inquit, tam cupidus in perspicienda cognoscendaq; rerum natura, ut, si ei trahenti contemplantiq; res cognitione dignissimas, subito sit allatum periculum, discrimenq; patriæ, cui subvenire oportulariq; possit, non illa omnia relinquat, atq; abjiciat, etiam si dinumerare se stellas aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur.* Quoniam igitur, uti dictum, ab utraque parte acies parata, distinguendo mentem nostram aperiemus; diversus enim respectus hîc omnem tollit suspensionem. Ratione igitur dignitatis & objecti, & quatenus ex apodicticis demonstrationibus aliquid concludatur, Theoreticam Practicæ præferendam esse statuimus, dummodo hæc sit tantum rerum contingentium & probabilium, ideoq; accuratas & exquisitas demonstrationes non admittat. Ratione autem utilitatis, & quatenus magis inserviat usui humano, Practicam præferendam esse concludimus.

*l. 2. de offic.*

#### QUÆSTIO IV.

### *An Philosophiæ Practicæ Juvenis sit auditor idoneus? Disting.*

Auribus enim solum ut percipiantur verba, non sufficit, cum aliàs multa hinc sequerentur absurda, & nescio qui Philosophiæ hujus moralis auditores esse non possint, sed magis & majus aliquid requiritur; auribus nimirum perceptorum in usum translatio, ut ita quis voce ac vitâ simul aliis prælucere possit. Qui igitur ita comparatus non est, ad Philosophiam hanc moralem, quoniam absque fructu ejus præcepta audiet, non est admittendus, cum principia morum dependeant ab experientia, quâ Juvenis iste caret & destitutus est, donec ex actionibus virtuosis habitum sibi contraxisse videatur, & tandem de præceptis rerum agendarum rectè judicare possit, sciatq; quid actionibus sit honestum, quid turpe, quid hominis naturæ conveniat, quidvé repugnet. Et hinc ab Aristotele *l. 6. 4. Eth* excluduntur tantum ij, qui ingenio & moribus non sunt præditi, etiam si ætate & annis sint adulti. Non igitur, uti dictum, annorum paucitate aut multitudine, sed morum inconstantia juvenis hîc definiatur.

Quæ.

QUÆSTIO V.

*An in hac vita beatus quis nominari possit?*

*Affirmatur.*

Antequam verò nostram stabiliamus sententiam, eam secundum subjectam materiam intelligendam volumus, pro ea enim ut accipiantur verba, rationi conveniens est. Materia autem si expenditur, loquimur hîc, uti ex iis, quæ hactenus prolata; satis superque constat, non Theologicè seu ratione vitæ aut beatitudinis æternæ, de ea enim quid sentiendum, statuendumve, quoniam nostrum excedit propositum, alijs explicandum relinquemus; ut taceamus, ne in alienam, ut ajunt, messem falcem immisisse videamur, sed Ethicè sive moraliter. Consideranda igitur est natura virtutis, quæ causa efficiens est, unde tale sit argumentum: positâ causâ absolutâ (naturali nec impeditâ) ponitur effectus, atqui felicitatis causa absoluta est actio secundum virtutem. E, qui secundum virtutem vivunt, beati nominari possunt. Neque obstat, quod dicitur vitæ hæc esse miseria, item variis casibus ac fortunæ telis exposita, quò Solon respexisse videtur, cum Croeso interroganti, an illum beatum judicaret; respondit ut refert Ovidius:

- - - *ultima semper*

lib. 3. Met:

*Expectanda dies homini est, diciq; beatus*

*Ante obitum nemo, supremæq; funera debet.*

hæc inquam nostræ sententiæ nihil quicquam infringunt, cum enim vita nostra dicitur miseria, non vera hæc est ejus definitio, cum non ipsa miseria, etiamsi interdum misera dici possit, crux autem beatum non vulnerat. Nec alterum nobis quid obstat, ibi enim Solon virtutis constantiam non negavit, sed Croeso divitiis abutenti cautelam dedit; cætera discursui reservamus. Absit ergò ut rationem bene beateq; vivendi dubiæ fortunæ manibus positam esse statuamus, cum ei non sit tanta vis, ut virum bonum de honesto suo proposito dimovere, aut ex beato miserum facere possit. Et quod quæso, hinc orirentur absurda, si ne ullus in hac vita felix esset dicens, nonne ad beatos faciendos cives frustra conderentur leges? nonne misera esset hominis conditio, si navis, in qua vehitur tot tantisq;

tantisq; fluctibus agitata nullam tandem virtutis anchoram portumq; nullum haberet? quorsum proponitur præmium, si nemo capiat? quorsum laudatur virtus, si nemo cupiat? an nemo est, qui piè, qui sobriè, qui virtuosè vivit? non certè, cum hic apertè reclamet experientia, & plurium proborum exempla testentur contrarium, qui, ubi ad virtutis gloriam via grassantur, abunde sibi polent, potentesq; & clari sunt, ut nec inde quicquam fortuna egere videantur.

## QUÆSTIO VI.

*An Fortitudo hominem Christianum deceat?*

*Affirmatur.*

Quoniam hæcenus de Philosophiæ Practicæ dignitate, necessitate, & prærogativa, & ita generatim de virtute morali, ejusq; causa | & effectu breviter dictum, speciatim nunc ejus tractationem aggredimur. Quoniam autem singulatim in omnes ejus species inquirere, tum propositi, tum temporis ratio non permittit, de duabus saltem nobilioribus & præstantioribus, Fortitudine scil. & Justitia agere placet. Et quànquam in illis enucleandis ordinem sit servare liberum, ne tamen sine ratione ab aliis recessisse videamur, more peripatetico, telam ab illa, Fortitudine scil. ordiemur. cum versari circa difficiliora virtutis sit proprium; hoc autem primario & nullibi magis, quam specie hac fieri, notum. Hæc enim, Philosophorum sententiâ, versatur circa res arduas & difficilissimas. & generaliter quidem omnia circa formidabilia, secundum hominem honesta, quæ in periculis terrorem incutiunt, specialiter verò circa mortem, omnium terribilium terribilissimum; hæc enim non solum bonis hominem spoliatur; sed etiam omnem spem, quæ in cæteris malis est solatium, ei adimit, unde dicitur: *Spes est in vivis non est spes ulla sepulchris*. Quod tamen non simpliciter de omni morte intelligendum, sed tantum de ea, quæ fit pro patria, libertate &c. & licet formidabilis hæc sit, honestissima tamen & pulcherrima dicitur, ob causam scilicet honestam, propter quam appetitur. & hinc à Romanis maximis honoribus. & præmiis digni judicati, imo felices & forrunati prædicati sunt, quibus hoc modo in acie mortem oppetere contigit. Et ad hæc jam dicta affirmativa. quæstionis nostræ sententia respicit, in qua Fortitudinem hanc homini

mini etiam christiano convenire statuimus, & id quidem non sine  
 ratione; quis enim unquam tantæ fuit dementiæ, ut homini dene-  
 garet virtutem? Si hoc, cur Fortitudinem? quippe quæ inter ejus  
 species: fere potiorum sibi vendicat locum, & non minus, quàm  
 cæteræ, homini censetur digna. Et hinc tandem de bello, quo  
 principaliter & primario conspicitur & consistit hæc virtus, agita-  
 ta satis offert se quæstio: Anne ergo bellum gerere sit licitum? ad  
 quam affirmativè respondemus, commoti præsertim hac ratione &  
 fundamento firmissimo: Quodcunque nec juri divino, nec natu-  
 rali, nec juri civili repugnat, sed potius inde confirmatur & appro-  
 batur, illud etiam omnibus pro concessio & approbato habendum.  
 At qui legitimo modo gerere bellum tale quid est. E. Major ex in-  
 fallibili deducta principio, nec ulla eget probatione. Minor quoad  
 jus divinum nullum est dubium, modo id iustâ causâ, publicâ au-  
 thoritate, & rectâ intentione fiat. ita in V. T. Hebræi Mose & Jo-  
 suâ ducibus usi, Amalekitas, vim inferentes, armis repulerunt, Do-  
 mino factum probante, & lætam victoriam in perpetuam rei me-  
 moriam scribi jubente. Et cur Deus Israelitis leges in bello semper  
 servandas præscripsisset, Si omne bellum esset injustum? ita nec in  
 N. T. omnia bella pugnant cum professione hominis verè christia-  
 ni. Johannes Baptista enim interrogatus à militibus Judæis, quo-  
 rum multa millia militasse historicis manifestum est, quid ipsis faci-  
 endum esset, ut divinam iram effugiant? non eos militiâ abire jus-  
 sit, quod omninò faciendum fuisset, si militiâ pugnaret cum Evan-  
 gelio, sed præcepit abstinere à concussionibus & fallaciis, stipen-  
 diisq; esse contentos. Juri naturali, quid ob stare possit, non video,  
 siquidem eo jure evenit, ut quod quisq; ob tutelam corporis sui fe-  
 cerit, jure fecisse existimetur, & omnia animalia simul ac nata sunt  
 in sui defensionem impetu feruntur juxta illud: *dente lupus, cornu*  
*taurus petit.* & hinc legem omni animantium generi inditam esse  
 videmus, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitu-  
 ra videntur. Jure tandem civili ullum esse dubium non puto, in  
 eò enim non solum magnis & specialioribus milites donati sunt  
 privilegiis, ut etiam hinc ipsis jus ignorare permissum sit, sed etiam  
 in peculiari quodam titulo de modis & rebus militaribus Imperator

tor

Exod. 7. v. 8  
 seqq.  
 Num. 10,  
 v. 9.  
 Luc. 3. v. 14

l. 3 ff. de  
 just. & jur.  
 T. r. C. &  
 Inst. d. test.  
 milit.  
 S. si filius-  
 fam. i. ff.  
 d. Jur. &  
 fact. ign.

tor noster Justinianus agit. Si igitur legitimo modo bellum gerere Christianis licitum erit, quis virtutem hanc hominem decere negabit? cum sine ea bellum non solum sine effectu, sed & magno cum dispendio & periculo suscipietur. Hoc enim non sufficit, ut quis bruti instar animalis, vel lapidis aut trunci, in quibus nullus est intellectus, aut sensus periculorum, quævis temerè pericula adeat, sed tantum ea, quæ sunt honesta, & in quibus possit aliquid laude dignum, quodq; aliis, præsertim Reipub. utile sit, præstare, & hoc quidem consilio & ratione. hoc est, eo modo, loco & tempore, quò & quando oportet. quo & stratagemata referri possunt, quibus tamen non ut malò, sed ut mediò est utendum.

### QUÆSTIO VII.

*An fides hosti data sit servanda?*

*Affirm.*

An fortitudinem exercere homini Christiano conveniat, expediatve præcedente quæstione explanatum, officiumq; viri fortis in periculis, & rebus formitabilibus, præsertim bellicis demonstratum fuit. Quoniam autem nonnunquam eò rem delatam experimur, ut depositis armis induciarum foedus pangatur, scitu etiam necessarium erit, quid consilij & tunc sit captandum, sicut enim in aliis, ita & in hoc passu moderandi sunt affectus, ut omnia secundum virtutem incepta procedant, & nihil quicquam citra dictamen rectæ rationis inchoasse videamur. Quæritur igitur, quid eò in casu, quo foedus cum aliquo initum, illudq; fide confirmatum, sit faciendum, an fractio illius salvâ conscientia, oblata quâdam occasione, fieri possit. Sunt qui ajunt, quia cum hæc semelmissa, non facile revertatur. Nos illud absolutè negamus. Quid enim æquitate naturali magis conveniens, quàm ea, quæ semel placuerunt, servare? & contra quid gravius fallere fidem? Jus enim naturæ dicitur; ne data fides frangatur. Cum hoc fieri non possit, quin violetur *veritas, fidelitas, & Justitia*. Veritas nos obligat, ut, quod verbis promittimus, animo etiam sincero promittamus, ne mendaces audiamus. Fidelitas consimiliter urget, ut quod promissum est, opere impleamus, ne perfidi judicemur. Justitia deniq; suò quodam

*l. 1. ff. de  
pact. l. 1. pr.  
l. 25. pr. ff.  
de const.  
perunc.*

jure poscit, ut quod alteri pacificando promissimus, id exequamur, ne injusti habeamur. Quam tristes deniq; odiosam istam occasionem amplectentium exitus esse soleant, & quàm graviter DEUS irascatur foedifragis, clarissimè docet exemplum Vradislai Poloniae & Hungariae Regis. Postquam enim cum Amurathe Turcarum Imperatore Anno Christi 1444. inducarium foedera sanctè concepta, svasu & consilio Eugenii IV. Pontificis, internunciò cardinali Julianò, ab eo rupta & violatà essent. Amurathes tot malis atrens, indignansq; foederis fractione, copiis suis omnibus collectis, extrema experiri statuit. Et cum in colle quodam sublimi suos ancipit proelio suppositos esse vidisset, equò descendit, gladiumq; vaginà liberatum terræ infixit, & cœlum intuens in hæc prorupit verba: *Christe, si Deus es, ut Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra pacta jura bello me invadunt*: Subito fortuna penes Amurathem fuit, meritò Christianos fidei fractæ incusantem. Rex Uradislaus eò proeliò confectus interiit. Hunniades agrè salvus evasit. Julianus Cardinalis, flabellum dissidiorum & autor rupti foederis equò lapsus miserè animam in devio saltu exhalavit. Hujusmodi ergo suasoribus non facile aures præbebunt, nisi ij, quorum animus & corruptus & malitiâ obcæcatus est, ut quid de ipsis posteritas sit censura, non multum laborent.

referente  
P. Perriò.  
Tab: Geo:  
lib. 4. in  
descript.  
Imp: Turc:

### QUÆSTIO VIII.

*An Justitia rectè dicatur constans, & perpetua Voluntas? Affir.*

Dictum est supra in quaestione sexta de duabus virtutum speciebus: Fortitudine scil: & Justitia, nos acturos. Quoniam igitur hætenus illius tractationem breviter absolvimus, justò nunc ordine hujus explicationem aggredimur. Et ut nec in prioris, ita nec in hujus inquisitione operæ quicquam perdidisse, aut minus hanc illà utilem fore putamus. Cum hujus dignitas & præstantia tanta sit, ut vix ullis encomiis augeri possit. Regna enim & cætus hominum Justitiâ eriguntur, erecti conservantur; & ut Medicus decumbentis ægri morbum, ita hæc subditorum morbos explorat, sanabiles cu-

rat,

rat, insanabiles è sanorum contubernio prorsus eliminat, ne latius  
serpant. Hinc Ethnici nihil à diis aliud in sacrificiis, quàm Justitiam  
poscebant, quâ unâ impetratâ, omnia se adeptos arbitrabantur.  
Hanc igitur respiciat justus, nec peccabit; intueatur fortis, nec  
quicquam temerè aget; quivis deniq; hanc sectetur, nec confunde-  
tur. Hæc quoad fieri potest, cum quovis pacem colit, amissam resti-  
tuit, restitutam servat, ut in pace & tranquillitate, omnium artium  
exercitia frequententur & exerceantur, Sed ne licentius in hoc lau-  
dum oceano evagari videamur, reliqua omni voce, omniq; laude  
nostrâ sublimiora, religioso silentio venerabimur, ut olim indu-  
strius pictor velo obumbravit, quod penicillo exprimi posse despe-  
rabat. Ad propositum igitur redeundum, à quo longius jam a-  
berravimus, quàm fortassis oportuit, Quoniam autem in hac quæ-  
stione altiori quâdam inquisitione præ cæteris opus est, accuratius  
etiam, & quidem singulas definitionis partes perspicemus. No-  
tandum igitur primò *definitum*, quod à *justo*, justum autem à *jure*,  
derivatur. Et hoc quidem derivatione grammaticâ, numerante  
litteras, ubi jus abstractivè consideratum, id, quod semper æquum  
& bonum, denotat, ejusq; effectus est ipsa Justitia. Philosophicè  
verò & civiliter, id est. Juridicè loquendo contrarium statuitur, eâ  
siquidem derivatione, intuente potius res ipsas, earumq; à se invi-  
cem deductionem, jus, concretivè sumtum, & ipsam juris artem,  
denotans, à Justitia, ut causa sui, derivatur. *Genus* quod attinet  
sciendum, hoc non ita simpliciter & absolutè intelligendum, quasi  
nudam propriè Justitia denotet animæ facultatem. Sed per Meto-  
nymiam quandam, effecti scil: pro causa, voluntatis, prohibitu  
voluntatis. Ut ita Justitia eandem habitu præditam importet.  
Non enim simpliciter qui justè facit, justus est; Sed qui facit ex ha-  
bitu, sive destinato animi proposito, & ad hoc exprimendum val-  
de evidens hic tropus fuit. *Differentia* porro duplex reperitur.  
Una à forma seu ipsa essentia, ab effectu altera. Illa in eo consistit:  
cum dicitur *constans & perpetua*. Ut enim omnium rerum, sic  
quoq; Justitiæ essentia perpetua dicitur. Et cujusq; animo, ut Ci-  
cero ait, sunt parvæ quædam notitiæ rerum maximarum, quas cum  
sequitur voluntas, justè agit. Quæ licet ad fastigium illud, quod



in Sacris traditur, non ascendant, scintillas tamen divinæ bonitatis mentibus reliquas, quibus sublatis, tollitur Societas humana, repræsentat. Ex his mens judicare potest, quid sit justum, & cum iis obtemperat voluntas: justè: Cum repugnat, injustè agit. Nec ad rem facit, negotia & casus variare, subindeq; lubricos hominem habere affectus: cum voluntatem justè agendi retinere possit. Justus enim non ex effectu sed ex affectu judicari debet. Et hinc Jcti maluerunt Justitiam definire per voluntatem, quàm per actum. Nec est, quod dicas, jus esse mutabile. E. & Justitiam, quæ finis ejus. hoc enim non ex natura juris est, quod sit mutabile, sed venit extrinsecus. Justitia apud omnes & omni tempore eadem est, cum alias justitia non esset. & ideo causa semper eadem. idem effectus, adjuncta autem interdum sunt alia, quæ tamen substantiam non mutant. Altera differentia ab effectu deducta in his continetur verbis: *Jus suum cuiq; tribuendi.* hoc enim efficit Justitiam, ut cuiq; reddatur jus suum. & hoc proprium munus est, & quasi insigne Justitiæ, per quod ab aliis virtutibus secernitur. Proinde una omnium virtutum Justitia alienum bonum esse dicitur, quoniam ad alium pertinet, possum enim mihi ipsi esse prudens, fortis, modestus &c: at justitia nisi ad alium referatur, non erit virtus. Et hæc de definitione dixisse sufficiant, de divisione, ejusdemq; speciebus etiam quidem dicendum esset, sed brevitati studendum, ideo saltem Choronidis loco sciendum, nos hîc non justitiam divinam, aut Universalem, sed humanam & particularem intelligere. Cætera ipsi reservamus discursui.

Mün. in  
resolut.

Inst. q. 1.  
l. 1.

Mynf. pr.  
Inst. h. r.

Arist: Ni-  
com. l. 5.

## QUÆSTIO IX.

*An æquitas stricto juri sit præferenda?*

*Affirm.*

Quid per æquitatem hîc intelligatur, eleganter Philosophus his verbis expressit: Est autem, inquit, æquitas & homo æquus, qui aliquid remittit de jure legum constituto. Nam ea, quæ non potuit ñ, qui lege sancivit accuratè & in singularibus præfinire, sed de iis universaliter, & in genere pronunciat, ñ, qui in illis aliquid remittit & concedit (proponens tamen sibi ea, quæ ñ, qui lege sancivit, voluit in  
singula-

Lib. 1.  
Ethic;

*singularibus & peculiariter definire, nec tamen potuit) dicitur æquus.*  
Æquitati huic strictum jus opponitur, si videlicet sine mitigatione, quam tamen Judex æquitate commotus propter gravem & urgentem aliquam circumstantiam admitteret, rigidè & stricto jure secundum verba, non attentis circumstantiis, & ratione legis proceditur. Quæritur igitur in hac stricti juris & æquitatis pugna, utrum superius evadat? hoc est, an potius secundum id quod stricti juris, prædura ad causam præsentem interpretatio dicat; an verò juxta id, quod ad facti speciem præsentem ex atrenta judicis mente æquum videtur, judicandum sit. Et quanquam stricto juri palma concedenda videatur, æquitatem tamen illud prævalere statuimus. Cum in omnibus rebus præcipuum sit justitiæ, æquitatisq; quam stricti juris ratio. & in omnibus causis personarum conditio & rerum qualitates diligenter sunt æstimandæ, ne quid durius aut remissius constituatur, quam causa postulat. Hinc & æquitas juris moderatrix dicitur, quatenus ejus duritiem & asperitatem habitâ circumstantiarum ratione mitigat, & ex universali legis constitutione oritur, quippe legislatores non omnes casus definiunt, sed eos, qui plerumq; accidunt. Sed benè hîc notandum, quod correctio hæc stricti juris intelligentia sit non *destructiva*, quasi in lege rectè instituta defectus sit & propterea destruenda, sed *perfectiva*, ut cum lex generaliter tantum sanciat, nec in specie propter negotiorum varietatem, quæ non potuerunt omnia in lege verbis comprehendere, quicquam constituat, ut dum habita circumstantiarum ratione determinet & applicet, quæ lege palam non sunt definita. Judicis igitur prudentiæ reliqua ea determinanda relinquuntur, qui cum calum de quo quæritur, ponderatis diligenter omnibus circumstantiis, examinat, ut ita interdum stricti juris rigor mitigetur. Cum non eadem sit ratio omnium factorum, alii enim peccant ex necessitate, alii casu, alii animo destinato; jam nullo modo, eâdem lege eos esse puniendos, ratio suadet. E. g. Adolescens quidam fame compulsus pistori aliquot panes surripuit, lex jubet, Adolescentem suspendendum: sed judex expendit circumstantias, juvenis est: non malitiosè, sed necessitate compulsus peccavit. E. non convenit ordinaria pœna

*l. 2. cod. de  
judic.*

*l. 4. S. 1. ff.  
de incend.  
ruin. &c.*

ado-

adoleſcenti. Sed dicis: ſi æquitas eſt juſta, ſtrictum jus erit injuſtum.  
Reſpond. Sequeretur hoc, ſi æquitas & ſtrictum jus eſſent oppoſi-  
ta, non autem ſunt oppoſita, ſed diſparata ſaltem ſunt ſpecies, quæ  
non genere, hoc enim commune habent, vid. *juſtum*, ſed ſecundum  
differentiam ſpecificam, differunt. Nec eſt, quod dicas, quem libet  
judicando æquitatem ſibi fingere poſſe: Cum ejusmodi æquitatem,  
quæ ex motu & affectione animi apparet, non ſequendum. Alioqui  
nihil eſſet certum & perpetuum in jure, quibuslibet cauſarum ſta-  
tum ad quam libet imaginariam æquitatem, de torquentibus, &  
propterea æquitatis interpretatio non ex cerebto vel arbitrio no-  
ſtro, ſed ex præſumpta legiſlatoris mente arripienda.

arg. l. 19. ff.  
de LL.

### QÆSTIO X.

*An ἀνομιμία ſit contra Juſtitiam?*

*Affirm:*


Cum proximis quæſtionibus actum ſit de Juſtitia, alia, ab ea  
non ita aliena, ſuboritur, an liceat ſemetipſum lædere, manusq;  
violentas ſibi inferre. Et quanquam ſupervacanea videri poſſit,  
cum alias firmiſſimis fundata ſit fundamentis, tamen cum etiam  
in maniſeſtiſſimis contradicentes inveniuntur, eam unô vel alterô  
probabimus, & hoc quidem jure civili (cum jure divinô & naturali  
etiam diſſidentes illicitum eſſe fateri cogantur) in quo non ſolùm  
prohibitum, ſed & ſummâ poenâ coercetur homicidium, quid au-  
tem violentas ſibi inferens manus, & mortem conſciſcens, aliud,  
quàm homicida, & cum alterum occidere prohibitum, multo ma-  
gis ſemetipſum, cum id ordo charitatis, qui à ſeipſo incipit, poſtu-  
let, & in lege quadam dicitur: neminem membrorum ſuorum eſſe  
dominum, quinimo talis ἀνομιμία non tam ſibi quam Reip. nocet,  
propterea, quôd eam ſpoliat membrô aliquô, cujus auxilio potuiſ-  
ſet aliquando tempore neceſſario uti, hinc graviffima poena in eos  
conſtituta eſt, & Reſp. punit etiam cum, quatenus legitimâ ſepul-  
turâ privat, & aliâ notat infamiâ. Sicut igitur in hanc vitam ſpon-  
te noſtra, non venimus; ita nec ruruſus ex hoc domicilio corporis,  
quod tuendum nobis aſſignatum à DEO eſt, ejusdem injuſſu rece-  
dendum, qui nos in hoc corpus induxit tam diu habitaturos donec  
amitti

Tot tit. ff.  
ad L. Ag.

l. 13. ff. ad  
L. Aquil.  
l. 6. §. 7. ff.  
de re mil.  
l. 38. §. ſen.  
ff. de poen.

amitti jubeat. Plura de his non accumulabimus, sed commodiori  
tempore reservabimus.

## SOLI DEO GLORIA.



### COROLLARIA.

1. *An Imperium Romano-Germanicum sit pure status Monarchicus? Negatur.*
2. *An verò sit quarta Monarchia à Daniele prædicta? Affirm.*
3. *An nostro tempore electione deferatur? Affirm.*
4. *Ab Electoribus juxta auream Bullam Car: quarti non datur provocatio.*
5. *An Princeps pœnas capitales condonare possit? Dist.*
6. *An pater perduellionis jure possit occidi à filio? Affirmatur.*
7. *An quis civis esse possit duarum civitatum? Negatur*
8. *An servitus quadam conveniat natura? Affirm.*
9. *An quadam usurae sint licitæ? Aff.*
10. *An Logica sit pars Philosophiæ? Neg.*
11. *An sit definienda per habitum instrumentalem? Affirmatur.*
12. *An sit dividenda in partem communem & propriam? Affirm.*

**D***le cur hic* memori tibi, GRASSI, mente repostū  
Esse doces. Scholicos urge tu porro labores,  
Sic spe non vana fratres lactabis inanes.

JOHANNES QUISTORPIUS, D.  
& Theol. Facult. Senior.

AD DOMINUM RESPONDENTEM  
AMICUM SUUM COLENDUM.

**P***Lurimus ex Ethicis* interpres plurima novit,  
*Sed rarus, doctè quod docet, ipse facit:*  
*Hoc vitij fœcunda monent hac secla, videri*  
*Pars quibus exoptant maxima, quàm esse boni.*  
*Hinc tu nunc duplam, GRASSI, venabere laudem,*  
*Pagina dum tna nos quod docet, ipse facis.*  
*Hoc tu conatu Claro sub Praside, Clarus*  
*Et charus nobis sis, maneasq; Tuis.*

FRIDERICH CLATTEN, D.

**Q***Uamvis Fama* sonet latè resonetq; *Sophiam,*  
*Laude suâ feriens Solis utramq; domum.*  
*Sunt tamen (an stulti dicendi, dicere nolo)*  
*Quis solet esse levi fabula trita joco,*  
*Nil veto. Vera placet Nobis Sapientia Mundi:*  
*Nam sistit firmo carbasa fluxa vado.*  
*Ergo Tibi mecum laudes Academia nostra.*  
*Solvit, & hinc studiis dat bona vota Tuis.*

Nec



Hic sunt prima tibi studiorum elementa notata,  
Facta<sup>q</sup>, doctrina semina prima tua.  
Et tam constanti (fateor miror<sup>q</sup>) tenore  
Pergebas studiis invigilare tuis:  
Ut, postquam Mœnus quartâ vice constitit, à te  
Utiliter posset Varnias alma peti.  
Vix erit in multis unus, qui tempore tantò,  
Pieridâ fuerit tam bene lotus aquâ.  
Hinc tu pectoribus nostris constanter inheres,  
Multorum<sup>q</sup>, tibi conciliatur amor!  
Debueram memorare tuas, sed pagina præsens  
Discursu, laudes, uberiore canit.  
Gratulor ex imis animi penetralibus; ac, sit  
Cœlitus ut constans impetus iste, precor.  
Sic Phœbus laurum tua tempora cinget, eris<sup>q</sup>,  
Olim Aganippæi gloria magna chori!

quod prævidet

JOHANN. Rieder / Svinf. Franc.  
S. S. Theol. Studiosus.









Nec malè fortassis. Quid  
jacto,  
Dicitur in reliquis tutio  
Audi

**B** Is ter nos adiit post bruma  
Atq; suum tacto pisce pe  
Cum tu, magna mei pars pect  
Cœpisti Aonio te sociare cl  
Martia castra sequi teneris  
Gaudebas plangi tympana  
Gratus eratq; tibi sonitus, cum  
Ad pugnam tubicem bellicu  
Te quoq; ducebat Mars per a  
Per varias terras, per vae  
Nil tibi cum studiis! nec erant  
Quæ sunt in studiis, Pieria  
Tandem autem emensâ varia  
Intrâsti patria mœnia clar  
Hic tibi mutabant cœlestia Nun  
Cedebatq; tuo pectore Ma  
Inq; sui furtim te Musa trabel  
Hujus ut optares castra qui  
Et bene! fraternô tibi juncti sa  
Ibas ad celebres urbis ab ar

undamine

& Amico  
grat:  
SES.

hæbus,

caustô,

nnis,

mille,

is.

a nota,

oq;

m,

l,

z,

Hic

